

auctorem naturalem, et ad ejus legem, aut etiam odio habendo alterum Angelum: licet enim bonum proprium unusquisque amet quoad specificationem necessario, non tamen bonum, alienum, neque alterum Angelum, saltem quoad in quo differt unus Angelus ab alio, ut docet S. Thomas supra quæstione LX, articulo quarto.

Respondetur, non posse proponi omnia ista Angelo contra legem naturalem ut sequenda, nisi in aliquibus principiis, in quibus sibi repræsentetur ut bonum id quod est contra legem naturalem, quia connaturale est Angelo omnia quæ ad naturam spectant in suis principiis causisque cognoscere, quia comprehensive procedit. Hoc autem stando intra limites ordinis naturalis fieri non potest, quia Angelus omnia quæ naturalis ordinis sunt comprehensive cognoscit tam speculativa, quam practica, et in nullo principio naturali potest repræsentari, et cognosci aliquid ut sequendum contra legem naturalem. Unde propria excellentia, et ea quæ ad propriam excellentiam pertinent, non possunt repræsentari ut immediate, et directe contra ipsam legem naturalem diligibilia, quia lex naturalis ita immobiliter, et adhærenter repræsentatur Angelo, sicut ipsa excellentia propria, et unum ex contentis sub ipsa regula est ipsa propria excellentia ut convenienter diligenda, et cum subjectione ad suum principium: ergo cum Angelus procedat per comprehensionem speculativam, et practicam ipsius legis, et regulæ naturalis, oportet quod ex vi talis comprehensionis ita immobiliter adhæreat ipsius principiis universalibus legis naturalis, quod etiam omnibus contentis sub illa, quorum unum est excellentia propria, eadem immobilitate adhæreat, si quidem eodem

modo Angelus adhæret principiis, et conclusionibus tam in practicis quam in speculativis. Si autem immobiliter adhæret excellentiæ propriæ ut contentæ sub lege, non potest adhære illi contra legem, nisi sub aliis principiis, vel sub alia lege ponatur, propter quam relinquentam vel sequendam excellentiam naturalem, etiam contra propriam naturalem regulam, ametur. Hoc autem jam est ponere Angelum extra limites pure naturales, quo casu nos non loquimur in præsentibus. Quod si ipsa excellentia accipiatur ut primum principium, et regula diligenda; et sic subtrahatur a regula rationis, sub qua continetur ex vi naturalium principiorum, hoc stare non potest nisi mutando connaturalem modum procedendi in Angelo, quia si ex naturali cognitione comprehensive, et perfecta cognoscitur excellentia propria non ut prima regula, et principium, sed ut contentum sub universali principio, et per modum boni particularis sub fine, non potest Angelus intra limites naturalis ordinis accipere illam ut principium, nisi immutet ordinem cognoscendi naturalem, ita ut ex conclusionibus faciat principia, et sic comprehensive non procedat, quod est proprium cognitionis imperfectæ discurrentis et fluctuantis, modo ab uno, modo ab alio, quod Angelo connaturale non est, sed contra ejus naturam. Si tamen nova et extrinseca lex ponatur Angelo, quæ connaturalis non sit, cui subijciatur propria excellentia, poterit id renuere, et tunc indirecte etiam subtrahet illam a propriæ regulæ subjectione, et faciet quasi principium deordinationis propriam excellentiam, ut jam dicemus.

XXI. Quod attinet ad dilectionem proximi, dicimus quod eodem modo Angelus diligit eum ex vi legis naturalis, sicut seipsum, licet ordine

quodam seipsum diligit, et alium, quia principaliter diligit se, et necessario quoad specificationem, alium autem a se diligit non necessario quoad specificationem, sed diligit illum naturali dilectione, sicut se, in quantum secum convenit in ratione generica, vel specifica, ut dicit S. Thomas supra quæst. LX, art. IV, in quantum autem differt a se, diligit illum non dilectione naturali, sed electiva. Et quantum ad dilectionem naturalem dicit ibi sanctus doctor ad tertium, quod non potest removeri in Angelis, nec in dæmonibus removetur: nec enim habent odio alios Angelos quantum ad id in quo communicant eum eis in natura, sed quantum ad dilectionem electivam, et quantum ad id quo differunt Angeli inter se possunt eos habere odio. Cæterum istud odium non potest per se, et directe incipere ex puro motivo naturali, et stante Angelo in puris naturalibus, quia dilectio alterius Angeli, vel hominis, etiam in eo in quo differunt, repræsentatur Angelo, ut conveniens, tamquam quid contentum in lege naturali, quia est unum ex præceptis naturalibus diligere alterum sicut se. Unde licet ex meritis objecti posset Angelum non diligere alterum, quia non est necessitatus quoad specificationem circa bonum alienum, sicut circa proprium, tamen in quantum illud bonum dilectionis alterius Angeli continetur sub principiis universalibus legis naturalis, et Angelus connaturali modo procedit eadem immobilitate, et comprehensione circa finem et circa media, circa principia et circa conclusiones, prout sic non potest odio habere alterum Angelum, quia non potest egredi a limitibus illius regulæ, et legis naturalis, quamdiu intra limites ordinis naturalis operatur connaturali modo,

id est, comprehensive, et perfecta cognitione procedens, sicut exigit natura sua; bene tamen si supponatur alteri legi illud bonum dilectionis alterius Angeli, cui legi si nollit se subordinare, poterit ex aliquibus effectibus, qui sibi contrarii aut differentes videntur, alium Angelum odio habere, etiam non servando legem naturalem, ut mox amplius explicabitur.

XXII. Quoad secundam ergo partem conclusionis positæ probatur, tum ex eisdem locis D. Thomæ ubi admittit peccatum posse esse in Angelis ex ordine ad ea quæ supernaturalia sunt, seu in ordine ad legem supernaturalem; tum quia supra q. LX, a. v ad v docet, quod: « Illi qui non vident Deum possunt ex ex aliquibus effectibus, qui eorum voluntati contrariantur Deum odio habere, » quod utique contra naturalem legem est; tum quia ut dicit infra S. Thomas q. LXIV, art. II ad v: « Omnis actus dæmonis ex voluntate deliberata procedens, est malus, actus autem naturalis bonus esse potest, et tamen tali bono actu abutuntur ad malum; » tum denique, quia omnia peccata secundum reatum esse in dæmonibus, quatenus ad ea homines incitant, docet ipse sanctus doctor in hac quæstione LXIII, art. II, inter quæ sunt multa contra ordinem legemque naturalem.

Ratio autem a priori hujus est, quia non potest aliqua voluntas renuere subjectionem ad regulam supernaturalem, nisi ex consequenti, et indirecte a naturali regula se avertat; tum quia licet naturalis regula non dictet de supernaturalibus aliquid, dictat tamen subijciendam esse hanc regulam regulæ illi superiori, et non esse abijciendam, sicut lex prætoris dictat subijciendam esse sententiam suam, et iudicium, iudicio imperatoris vel regis: unde

sicut non stat quod aliquis recte velit parere iudicio prætoris, et nolit subijci iudicio, et legi regis, ita non stat quod aliquis integre, et recte se habeat secundum legem naturalem, si renuit subijci regulæ supernaturali, sed hoc ipso manet mancus, et non rectus circa naturalem legem, quia læditur naturalis lex in eo quod dicitur subijci debere superiori: hoc enim bonum naturæ est elevari ad superius. Si ergo ex hac parte læditur lex naturalis, hoc ipso Angelus mutat connaturalem modum procedendi practice, et in aliquibus etiam speculative, non quidem respectu eorum quæ naturaliter cognoscit speculative, hæc enim integra manent in Angelo, quia simplex est ejus lumen, modusque cognoscendi, sed in quantum abutitur ad iudicandum etiam de his quæ naturaliter nota non sunt lumine suo: vult enim præsumptuose præcipitare iudicium, aut de interioribus cogitationibus plus iudicando, aut de rebus supernaturalibus, ut docet S. Thomas supra qu. LVIII, art. v, et qu. XVI de malo, art. vi. In parte autem affectiva, seu practica etiam iudicat appetendum aliquando id quod appetendum non est. Et hoc totum inde provenit quod Angelus peccans non retinet in operando modum connaturalem suum, nec intra illum se vult continere. Modus autem connaturalis est ut procedat semper indivisibili modo, et comprehensivo, et intra illum se contineat. Si enim hoc observaret Angelus, utique non peccaret: videret enim quod naturalis lex in omnibus observanda est, et ad omnia se deberet extendere in ipsis principiis, attingens per intellectum, et voluntatem omnia in eis contenta. Unum autem ex contentis est dictamen illud legis naturalis, quod cuicumque regulæ superiori debet subijci, etiam supernaturali.

Unde si diabolus ab hac lege se subtrahit, jam non indivisibiliter, nec unite, et comprehensive omnia quæ sunt contenta sub lege naturali amplectitur. Sed hoc non est incipiendo rumpere hanc indivisibilitatem ab ipsa lege naturali absolute sumpta, et contra eam agendo, sed comparative, seu respective ad legem superiorem, cui non vult subijci, et in hoc etiam legem naturalem rumpit. Unde hoc ipso distemperatur, et accipit pro principio, cui inhæreat, suam propriam excellentiam, quæ erat contenta antea sub regula naturali, non ut principium, sed ut medium, seu conclusio, et consequenter facit contra regulam naturalem, et deordinat omnia, faciens finem sibi ultimum ex illo quod se habebat ut medium, et cum in omnibus nolit se subijcere regulæ supernaturali, in omnibus recedit ex consequentia regula finis naturalis, quia mutat connaturalem modum operandi comprehensive, et indivisibiliter ex vi principiorum naturalium, sed dividendo illa, quia non tendit in finem naturalem, et regulam secundum omnia, quæ sub tali fine continentur. Unde ulterius etiam in speculativo iudicio ferendo non se continet intra modum, et limitem naturalem, sed præcipitanter agit iudicando ex naturalibus ultra id quod ipsa manifestare certo et comprehensive possunt, eaque, ut certa accipiendo.

XXIII. Ex quo sequitur verum esse quod supra notavimus, quod ista conclusio procedit supponendo quod Angelus procedat connaturaliter, seu juxta modum suum connaturalem agendi, quod non intelligitur sic, quod procedit quando Angelus operatur connaturaliter, id est, juxta id quod exigit sua natura in regulatione recta, quasi modus connaturalis sit ipsa subjectio ad

regulam naturalem, quæ recta est: hoc enim idem esset, ac dicere quod non potest peccare contra legem naturalem, quamdiu operatur secundum regulam naturalem, seu non potest peccare contra regulam, quamdiu operatur secundum regulam. Non sic intelligitur; sed quod non peccat contra legem naturalem quamdiu operatur connaturaliter, et juxta modum suæ naturæ, id est, principia ipsa naturalia, et finem naturalem intelligendo, et accipiendo comprehensive, et unite sicut ejus natura postulat, tam speculative quam practice. Sic enim est proprium modo intelligendi Angeli, ut naturalia accipiat comprehensive, et unite, et non dividat sicut nos possumus dividere ob nostrum imperfectum modum procedendi. Et ita si Deus de potentia absoluta ita produceret Angelum in pura natura, quod non daret ei modum suum procedendi connaturalem, sed quod ea quæ naturalia sunt plene, et adæquate non intelligeret, sed aliquid subtraheret, non coordinate intelligendo aut apprehendendo cum suo principio, tunc non repugnaret Angelum peccare contra legem naturalem primo, et immediate, quia tunc sibi proponeretur imperfecte, et ad eum modum, quo nobis proponitur sine plena, et perfecta comprehensione; atque adeo posset invertere ordinem eorum quæ tenentur diligere pro sua libertate: posset enim ex parte dictaminis dividere, et non proponere, seu attingere unum subordinate ad alterum, atque adeo neque ex parte libertatis, neque ex parte dictaminis impeccabilis esset.

XXIV. Quod si dicas: Ergo si potest Angelus invertere connaturalem ordinem operandi, et intelligendi ea quæ naturalis ordinis sunt ex recessu a fine supernaturali, poterit discurrere, si quidem ex eo non

discurrit, quia comprehensive procedit: ergo si potest non comprehensive procedere, poterit discurrere, responsetur negando consequentiam. Et ad probationem dicitur, quod ratio non discurrendi in Angelo, est quia comprehensive procedit, distingo; quia comprehensive procedit ex parte modi operandi, et secundum exigentiam suæ naturæ, concedo; quia comprehensive processit ex parte rei cognitæ, et secundum applicationem ad hanc vel illam materiam determinat, nego. Itaque potest Angelus procedere, non comprehensive in aliqua materia quoad usum illius, seu quoad extensionem ad omnia, quæ in aliquibus principiis manifestantur, non tamen potest modum comprehensivum exuere quantum ad hoc quod simplici intuitu procedat in materia circa quam operatur, et non per lumen illativum, ita quod duplici lumine procedat, uno exorto ex alio; atque ita, uno verbo, potest non procedere comprehensive, quoad extensionem objectorum, non quoad intensionem in modo operandi, et ex primo non infertur discursus, sed solum ex secundo, quia ad discursum oportet quod lumen non sit simplex, sed illativum, id est, unum lumen ortum, et coordinatum ex alio. Ad hoc autem ut Angelus peccet, sufficit dividere comprehensionem ex parte objectorum, (quia objecta sunt quæ movent secundum bonitatem, et convenientiam) ita ut in illis non servet ordinem, quem naturaliter postulant objecta, id est quod fine utatur ut fine, et principii ut principii, et medio tamquam medio, non vero quod ita dividat naturalem subordinationem, quod velit uti medio ut fine non subordinando illud legi supernaturali, et ex consequenti, neque sub naturali fine retinendo. Et licet in aliarum rerum conditione possit etiam An-

gelus uti suis speciebus inadæquate, et non omnia ad quæ possunt se extendere simul intelligere, quod est non comprehendere illas quoad extensionem, nec tamen in hoc peccare, cæterum est longe diversa ratio quam in præsentia, quia aliud est Angelum inadæquate uti speciebus quoad cognoscenda objecta earum, aliud inordinate, seu naturalem ordinem invertendo, ita ut principiis utatur pro conclusione, vel conclusionem accipiat pro principio, et medium accipiat pro fine, aut e contra. Potest quidem Angelus etiam in puris naturalibus uti inadæquate suis speciebus, et non omnia objecta quæ in qualibet continentur attingere: non tamen hoc facit nisi servando ordinem formalem, quo ipsæ species naturaliter repræsentant, scilicet ut videat res in suis principiis, quia in illis continentur, simplici lumine, id est, non duplicato, ita quod unum oriatur ex alio, quale est lumen illativum. Si non simplici lumine utitur, non solum amittitur comprehensio, sed etiam admittitur discursus, ut in nobis, quia fit lumen illativum. Si utitur lumine simplici, sed non servat ordinem, seu subordinationem objectorum, sed utitur medio tamquam fine, non subordinando illud fini, peccat, licet non discurrat; sed tamen non potest hunc ordinem invertere Angelus operando præcise ex lumine naturali, quia naturale lumen semper procedit ordine suo ex principiis ad contenta in illis, si modo connaturali, et formali procedat, non modo potentiali, et confuso, sicut nos, qui modo ab his, modo ab illis procedimus. Unde ut Angelum hunc ordinem invertat, oportet quod naturalia ista subjiciantur aliis principiis, seu regulæ, scilicet supernaturali, cui cum Angelus non subjicitur ex ipsa vi naturalis luminis, potest ab illa se sub-

trahere, non subjiciendo illi ea quæ naturalia sunt, et subjici deberent: quod si non subjicitur, sed subtrahitur ab illo, hoc ipso non utitur Angelus propria excellentia ut medio, sed ut fine, et principio, et consequenter, neque subjicit illam fini naturali, seu Deo auctori naturali, quia lumen naturale, licet nihil dicet de supernaturali fine, positive, dicat tamen non esse illi repugnandum, nec ab eo subtrahendum, et ex hac parte rumpitur, etiam subordinatio, et subjectio ad finem naturalem, et vulneratur in naturalibus, qui non se subjicit cælestibus.

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

Duæ nihilominus præcipuæ objectiones restant contra secundam conclusionem.

XXV. Prima, quia Angelus etiam in pura natura est liber libertate contradictionis, et contrarietatis, non minus quam nunc: ergo potest peccare. Consequentia patet, quia libertas contrarietatis, est circa bonum, et malum. Antecedens patet, quia in statu naturalis ordinis non omnia objecta amat necessario necessitate specificationis, nisi tantum bonum proprium, seu in quo non apparet aliqua ratio mali, et tamen naturalis lex etiam plura præcipit circa bonum alienum, ut quod tibi non vis, alteri ne feceris, etc. ergo potest non amare illud; et sic peccare contra illud.

Confirmatur, quia intra puram naturam est Angelus capax ut sibi imponatur præceptum aliquod positivum non supernaturale, sed mere naturale, v. g. quod præcipiat Deus Angelo ire ad talem locum, vel quod manifestet talem cogitationem suam alteri, vel quid simile, et ille poterit renuere: nec enim est necessitatus

obedire omni præcepto positivo, nec apparet ratio cur possit a præceptis supernaturalibus se subducere, et non a positivis naturalis ordinis. Ergo intra limites puræ naturæ poterit Angelus peccare sine aliquo ordine ad supernaturalia.

Confirmatur secundo, quia Angelus non potest viribus suis sive gratia servare totam legem naturalem, sine gratia inquam, ordinis naturalis, et auxilio Dei moventis: ergo non est impeccabilis ab intrinseco, alias non esset gratia quod non peccaret, et servaret legem.

XXVI. Secunda difficultas est jam supra insinuata, quia Angelus semel devians a fine supernaturali, potest peccare contra naturalem legem, ut modo de facto dæmones peccant contra legem naturalem incitando ad tot peccata, quæ fiunt ab hominibus contra legem naturæ: ejusdem autem prohibitionis est, non facere illa, et non incitare ad illa. Similiter dæmon habet modo odium Dei, et sanctorum Angelorum, et hominum, quæ omnia sunt contra legem naturæ. Ergo etiam possunt peccare Angeli immediate contra legem naturæ. Probatur consequentia, quia si voluntas Angeli ex principiis naturalibus est impotens ad peccandum, quomodo ex elevatione ad finem supernaturalem potest reddi potens ad peccandum contra eandem legem naturalem? Sic enim fieret Deo auctore deterior, et ex elevatione divina imperfectior. Nam non posse peccare contra legem naturalem, perfectio est, sicut e contra potentia ad peccandum, defectus est: ergo si ante elevationem non habet voluntas Angeli istum defectum, et post elevationem habet, fit ergo defectuosior, et deterior Deo auctore. Deinde, quia libertas voluntatis, et cognitio intellectus circa bonum ordinis naturalis intrinsece immutata manent

ante elevationem ad finem supernaturalem, et post: ergo si ante non poterant peccare contra illum finem, neque postea poterunt, et e converso, si quidem non potest sine aliqua mutatione intrinseca voluntas impotens ad peccandum, reddi potens, vel e contra; ex elevatione autem ad finem supernaturalem nihil libertatis, aut intrinsecæ immutationis acquirit illa libertas. Denique, si dicatur intrinsece non mutari libertatem, aut aliquid acquirere per illam elevationem, quod antea non haberet, sed ab aliquo extrinseco, scilicet ex novo motivo, quod ante non proponebatur, currunt omnes instantiæ p. Vasquez hic disp. cxxxii, c. v et Suarez lib. iii de Angelis, c. vii; Arrubalis hic disp. clxxix, c. ii et aliorum quæ resumentur in hoc, quod Angelus si ex se esset impeccabilis contra legem naturalem nullo motivo aut fine posset moveri ad peccandum contra illam. Quod si modo habet motiva ad peccandum, quæ in statu mere naturali non haberet, in primis non omnia motiva modo sunt contra finem supernaturalem: nam etiam peccant, et odio habent Deum, invidiamque aliis, quia se vident cruciari, et non solum quia beatitudine sunt privati, nec apparet, quæ necessitas sit, ut Angeli ad peccandum debeant prius moveri ex motivo finis supernaturalis, et non possint ex motivo naturali invidere aliis Angelis, aut odio habere Deum, quia ad hoc non moventur ex ipsa lege supernaturali, sed ex eo quod vident se privatos donis gratiæ. Et licet minora motiva forent sub statu pure naturali ad peccandum, quam modo sint in statu damnationis, tamen tunc omnino non deessent, quia ad hoc non requiritur error aliquis, sed defectus considerationis, ex quo minus efficaciter apprehenditur bonum honestum, quam